



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 117. Vtrum assensus fidei diuinæ vltimo resoluatur in veritatem infallibilem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

QVÆSTIO CXVII.

*Utrum assensus fidei diuina ultimo resoluitur
in veritatem infallibilem ?*

1. Videtur non resolui: primò, quia assensus fidei vltimò resoluitur in propositiones, scè præmissas supernaturaliter, non autem naturaliter notas; sed hæc propositio *Deus est prima, & infallibilis veritas*, est naturaliter nota; ergo &c.

2. Secundò ex dictis quæst. 3. assensus fidei debet resolui in propositiones immediatè, & per se credibiles; sed hæc propositio, *Deus est prima, & infallibilis veritas*, debet demonstrari, & non est immediatè, & per se credibilis; ergo &c.

3. Resp. quod cum quæst. 108. ostenderimus assensum fidei proximè resolui in infallibilem auctoritatem Dei, & in diuinum testimoniũ, quæstione autem 114. probauerimus assensum fidei diuinæ non solum proximè, sed etiam vltimò resolui in diuinum testimonium, hoc est in reuelationem per se credibilem, sequitur, vt examinemus, an, & quo pacto assensus fidei resoluitur vltimò in infallibilem veritatẽ Dei, tanquam in alteram præmissam syllogismi fidei. In hac igitur quæstione tria dubia sunt examinanda insinuata in rationibus dubitandi. Primum est, vtrum sit lumine naturæ certò, & euidenter notum, Deum esse veritatem infallibilem. Secundum est, vtrum hoc idem sit notum ex terminis, vel per solam demonstrationem. Tertium est, vtrum assensus fidei diuinæ resoluitur in veritatem infallibilem, vt lumine naturali cognitam.

4. Dicendum primò, respondendo ad primum dubium: lumine naturæ certum, & euidenter est Deum esse veritatem infallibilem. Probatur: nam, vt cum S. Thoma 1. parte, quæst. 3. art. 2. docent omnes Theologi, lumine naturæ certum, & euidenter est Deum dari, & esse ens habens omnem perfectionem simpliciter simplicem; sed etiam lumine naturæ certum, & euidenter est veritatem infallibilem, quæ propter infinitam sapientiam non possit falli, & errare, propter infinitam bonitatem non possit mentiri, & fallere, esse perfectionem simpliciter simplicem; ergo lumine naturæ certum, & euidenter, est Deum habere hanc perfectionem, vt sit veritas infallibilis.

5. Dicendum secundo, respondendo ad secundum dubium: Deum esse veritatem infallibilem signatè, & in sensu conditionato, per lumen naturæ est certum, & euidenter immediatè ex terminis: Deum esse veritatem infallibilem exercitè, & in sensu absoluto, est certum, & euidenter, non ex terminis, sed per demonstrationem. Probatur prima pars. Nam Deum esse veritatem infallibilem signatè, & in sensu conditionato, est Deum, si datur à parte rei, & non est ens purè signatum, seu cognitum, & purum signum intellectus, esse

veritatem infallibilem; sed ex terminis est notum, Deum, si datur à parte rei, esse veritatem infallibilem; ergo &c. Probatur minor. Cum enim nomine Dei intelligamus ens habens omnes perfectiones simpliciter simplices, & cum veritas infallibilis ex suo conceptu sit perfectio simpliciter simplex, hoc est non includens defectum, & in quolibet necessaria ad excludendum defectum, ex terminis constat Deum, hoc est ens habens omnem perfectionem simpliciter simplicem, si datur, habere, etiam hanc perfectionem, vt sit veritas infallibilis.

6. Probatur secunda pars. Nam Deum esse veritatem infallibilem exercitè, & in sensu absoluto, est, Deum non esse ens purè signatum & purè cognitum, sed esse ens reale habens parte rei omnẽ perfectionem simpliciter simplicem, ac proinde etiam hanc, vt sit veritas infallibilis; sed non ex terminis, sed per demonstrationem certum, & euidenter est, quod Deus de facto datur, & non est ens purè signatum, & purè cognitum, ac merum signum intellectus, adeoque à parte rei habet hanc perfectionem, vt sit prima veritas infallibilis, vt cum S. Thoma 1. par. quæst. 1. art. 1. docent communiter Theologi; ergo &c.

7. Dicendum tertio, respondendo ad tertium quæsitum: assensus fidei diuinæ non potest vltimò resolui in primam veritatem infallibilem, vt lumine naturali cognitam. Probatur: nam assensus fidei est certior quolibet assensu naturali, vt ex Chrysostomo, Augustino, & alijs P.P. dictũ est supra q. 113. n. 7. sed assensus certior non potest vltimò resolui in assensum minus certum; ergo assensus fidei non potest vltimò resolui in assensum naturalem. Confirmatur: nam in præsentia materia valet illud axioma Aristotelis, *propter quod unumquodque tale, & illud magis*, ideoque vt docent omnes, assensus conclusionis non potest esse certior assensu præmissarum, ex quibus vnice inferitur, & est impossibile, vt cum assentimur alicui obiecto materiali propter formale, certius assentiamur obiecto materiali, quam formali; sed mysterijs reuelatis Trinitatis, Incarnationis &c. assentimur vnice propter hoc obiectum formale, quia Deus infallibilis veritas illa reuelauit; ergo impossibile est, vt certius assentiamur mysterijs reuelatis, quam huic propositioni, *Deus est veritas infallibilis*; sed si huic propositioni, *Deus est veritas infallibilis*, assentiremur assensu purè naturali, certius assentiremur mysterijs reuelatis, vtpote quibus assentimur assensu supernaturali fidei, quam huic propositioni, *Deus est veritas infallibilis*; ergo &c.

8. Concluditur ex dictis fidem diuinam nõ posse vltimò resolui, & fundare suam certitudinem in prima veritate, vt cognita cognitione naturali, sed essentialiter vltimò resolui, & fundare suam certitudinem in prima veritate, vt cognita cognitione supernaturali, ac proinde fallam esse non solum sententiam, seu quam teste Suariorum, *tomus de Fide disp. 3. sect. 3.* incli-

nat

pat Altissiodorensis in Summa lib.3. tract.3. Cap.2. quæst.1. quæ sententia docet fidem infusam semper vltimò resolui, ac fundare suam certitudinem in prima veritate, vt cognita cognitione naturali, sed etiam sententiam, quæ vt docet idem Suarius sect.6. num.3. eiusdem disputationis, videtur esse Caietani, quæ sententia docet fidem infusam non semper, sed aliquando vltimò resolui, & fundare sufficienter suam certitudinem in prima veritate, vt cognita cognitione naturali.

9. Licet fides diuina non possit resolui in primam veritatem, vt naturaliter cognitam, tamen aliqua fides humana disponens ad fidem diuinam potest vltimò resolui, & fundare suam certitudinem in prima veritate, vt naturaliter cognita.

10. Ad 1. conc. mai. & disting. min. Hæc propositio *Deus est veritas infallibilis*, est non solum naturaliter, sed etiam supernaturaliter nota, concedo minorem; est nota solum naturaliter, nego minorem; & distinguo consequens; ergo fides non potest resolui in veritatem infallibilem, vt notam per solum lumen naturæ, concedo consequentiam; vt notam supernaturaliter per lumen fidei, nego consequentiam. Licet Deum esse primam veritatem infallibilem innotescat per lumen naturæ, tamen innotescit etiam multo perfectius, & certius per lumen supernaturale fidei infusæ; fides autem diuina fundat suam certitudinem in prima veritate, non in quantum innotescit per lumen naturæ, sed in quantum certius, & perfectius innotescit per lumen fidei infusæ, vt magis explicabitur quæstione sequente 118.

11. Ad 2. concedo maiorem, & distinguo minorem; hæc propositio, *Deus est veritas infallibilis*, naturaliter non est per se credibilis, transeat; supernaturaliter, & supposita reuelatione sufficienter proposita, nego. Hæc propositio, *Deus est veritas infallibilis*, supposita reuelatione sufficienter proposita, est per se, & immediatè credibilis, vt explicabitur iam sequenti quæstione CXVIII.

QVÆSTIO CXVIII.

Virum motiuū, in quod resoluitur vltimò assensus fidei, sit prima veritas vt immediatè credita per ipsam fidem, tanquam testans, se esse primam veritatem.

1. **P**rimo videtur prima veritas non esse motiuum fidei, vt credita per ipsum habitum fidei. Habitus enim supernaturales proportionaliter respondent habitibus naturalibus; sed conclusionibus, & principiis assentimur per distinctos habitus naturales, siquidem conclusionibus assentimur per habitum scientiæ, principiis assentimur per habitum intellectus, qui idcirco vocatur habitus principiorū;

ergo quandoquidem mysterijs reuelatis, quæ se habent vt conclusiones, assentimur per habitum fidei, huic propositioni, *Deus est veritas infallibilis*, quæ propositio est principium, ex quo inferuntur conclusiones fidei, assentimur per alium habitum supernaturalem distinctum ab habitu fidei.

2. Secundò videtur vera sententia Cardinalis de Lugo disp.1. sect.6. num.82. in toto de fidei docentis contra Suarium, quod licet prima veritas sit motiuum fidei, vt assensus supernaturali credita per ipsum habitum fidei, tamen non est motiuum fidei, vt credita propter reuelationem diuinam, sed debet aliunde cognosci, vt possit mouere ad credenda alia propter reuelationem diuinam. Si enim dicamus summam Dei veracitatem non aliunde per se innotescere, nisi quia Deus reuelauerit se esse summè veracem, incidimus in circulum vitiosum, ac penitus inexplicabilem; ergo sic. Probaturs antecedens: nam dum quæritur, *an credis Deum esse veracem?* respondemus, *quia Deus testatur se esse veracem*; dum rursus quæritur, *quare credis Deo testanti se esse veracem?* respondere debemus, *quia Deus est verax*: siquidem testimonium mendacis non meretur fidem; ergo credimus Deum esse veracem propter testimonium, quo testatur se esse veracem, & credimus testimonio, quia Deus est verax, & sic committitur circulus. Confirmatur: nam in humanis qui credit homini testanti se esse veracem, nisi aliunde ei innotuerit veritas testantis, stultè credit; ergo si per fidem ita crederemus Deo testanti se esse veracem, vt non aliunde nobis innotesceret diuina veritas, stultè crederemus.

3. Tertiò iuxta sententiam satis communem, idem obiectum non potest simul euidenter cognosci, & per fidem obscure credi; ergo in hac sententia diuina veritas, dum euidenter cognoscitur, non potest per fidem obscure credi propter reuelationem obiectam; ergo si diuina veritas esset motiuum fidei solum vt obscure cognita propter diuinam reuelationem, dum cognoscitur euidenter propter demonstrationem, non posset exercere munus obiecti formalis, ac motiui, & non posset mouere ad vllum actum fidei, ac proinde cum euidenter cognoscimus Deum esse veracem, nullum actum fidei possemus exercere, quod est absurdum.

4. Quartò etiam si Deus non reuelasset se esse summè veracem, posset reuelare alia mysteria, quæ tunc etiam posset per fidem credere; sed in hoc casu summa veritas Dei esset obiectum formale fidei, & cum non esset reuelata, non esset obiectum formale fidei vt credita propter reuelationem, sed vt aliunde cognita; ergo obiectum formale fidei potest esse summa veritas Dei, non vt credita propter reuelationem, sed vt aliunde cognita.

5. Quintò si fides vltimò resolveretur in hanc propositionem, *Deus est prima veritas testans se esse primam, & infallibilem veritatem*, hæc pro-